

sione illius diei, quo occurrit, vel praetermittendum sit omnino infra totum illum mensem? S. C. resp.: Consideranda verba indulti ap. et servanda, prout sonant verba. n. 3005 ad 3 die 28. Decb. 1682.

Vd.: *Officium* (translatio in seq. etc.).

32) Particulare.

a) Concessio.

Vd.: *Officium feriale* (estne evit. etc. decr. n. 4542 nota); *Translat. festi particul. etc.*; *Sancti*; *Regulares*; *Off. (ex Indulto concess.)*; *SS. Sacrament. (Off. ier. V.)*; *Off. romanum*.

Officium per Breve Apostolicum alicui regno particulariter concessum non potest recitari in alio regno, quamvis duo regna sub unius Regis potestate existant. n. 263 ad 3 die 11. Junii 1605.

Missionarii in Hollandia et confederatis Provinciis, quae ante rebellionem subjectae erant Regi cathol., possunt recitare officia concessa pro dominiis vel Terris Regis Hispaniarum. n. 3089 ad 3 die 2. Junii 1685.

Regulares absque speciali privilegio sed sola communicatione privileg. aliarum Religionum non possunt addere nomen Sancti Fundatoris in Lytaniis et Confiteor, nec recitare Officia et missas concessas aliis Religionibus. S. R. C. 20. Mart. 1606.

Ad dubium: An in Regno Portug. recitari possit officium de festis particulariter concessis per Breve ap. Regno Hispaniae, ut est festum Expectationis et alia similia, attento quod regna sunt diversa, quamvis sub unius regis potestate existant? S. C. resp.: Negative. Die 11. Junii 1605.

Ad dubium: an fratres Minores, qui tenentur facere Officium secundum Calendarium rom., propter communicationem seu participationem Privilegiorum Mendicantibus concessam, possint recitare Officia specialiter alteri reli-

gioni concessa, ut de corpore Christi, tempore Adv. et Quadragesimae? S. C. resp.: *Negative* et quatenus extensio petatur, omnino quoad tempus Adventus et Quadrag. non esse concedendam. n. 2903 ad 3 die 30. Sept. 1679.

Pro parte R. P. Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia impositum fuit apud S. R. C., quod in aliquibus Provinciis Hispaniarum nonnulli abusus irrepserint circa extensionem concessionum aliqua Officia recitandi, quibus, licet Congregatio Generalis Ordinis Toleti celebrata anno 1673 juxta decreta ab hac S. R. C. emanata occurrerit, nihilominus aliqui Fratres Provincia- rum Discalceatorum sub praetextu, quod Constitutionibus generalibus Ordinis non obligentur, adhuc inhaerent. Et cum non solum ex generali lege, sed speciali suae Regulae praecepto Fratres minores Officium divinum faciunt secundum ordinem s. Romanae Ecclesiae, ideo, ut hoc praeceptum exactius observetur, abusus extirpentur et in toto corpore Religionis sibi subjecto uniformiter laudes Deo persolvantur, idem Pater Generalis pro sui muneris ratione supplicavit, quatenus eadem S. C. sequentia puncta dignaretur declarare:

1. An Communicatio etiam amplissima Privilegiorum unius Religionis alteri facta se extendat ad Officia Sanctorum?

2. An facultas recitandi Officium de aliquo Sancto concessa specialiter Minoribus Conventualibus vel Capuccinis vel Fratibus tertii ordinis S. Francisci vel Monialibus S. Clarae, S. Elisabeth, Conceptionis aut Annuntiatae, se extendat ad Fratres Minores de corpore Observantiae, sive de familia, sive Reformati, sive Excalceati, sive Recollecti dicantur, ita ut isti licite illa uti possint?

3. An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter Fratibus Minoribus Reformatis Italiae sub hoc nomine se extendat ad Observantes de Familia, vel Excalceatos Hispaniae, vel Recollectos Galliae et e converso?

4. An eadem facultas concessa specialiter Fratibus Minoribus de Observantia Familiae Cismontanae se extendat ad Fratres ejusdem Ordinis Familiae Ultramontanae et e converso?

5. An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter alicui Provinciae, se extendat ad alias Provincias ejusdem Ordinis et Instituti, aut concessa specialiter alicui Conventui, se extendat ad alios Conventus ejusdem Ordinis vel saltem ejusdem Provinciae?

6. An concessio recitandi singulis mensibus una die, festo novem Lectionum non impedita, Officium S. Clarae a fel. rec. Clemente X. Fratibus Minoribus Regularis Observantiae absolute facta sit intelligenda cum moderatione similibus Officiis ab eadem S. C. posita, nempe exceptis Quadragesima, Adventu, quatuor Temporibus et Vigiliis vel absolute, ut sonat?

Et eadem S. R. C. quoad 1, 2, 3, 4, 5, 6 respondit: „Esse intelligendum cum moderatione. Et ita declaravit et praedicta omnia ab omnibus Fratibus Regularis Observantiae non solum de familia, sed etiam Recollectis, Reformatis, Discalceatis, aut aliquovis nomine nuncupatis servari mandavit, sub poenis arbitrio praefati Patris Ministri Generalis ejusque successorum pro tempore imponendis contra inobedientes, non obstantibus quibuscumque.“ n. 2906 die 16. Decb. 1679.

Officia SS. proprii Ordinis ex concessione SS. PP. recitata a Canonicis Regularibus Later. sub ritu dupl. min. sine solemnitate in occurso cum alio dupl. min. de Calendario possunt a dictis Canonicis suis propriis diebus assignatis in proprio octavario recitari

transferendo Officium Sancti de Calendario, dummodo illa sunt antiquiora et ex concessione. n. 2943 ad 1 die 1. Mart. 1681.

Officium s. Petri de Arbues concessum Hispaniarum regnis non potest in Lusitania aliisque regnis extra Hispaniam recitari. n. 3521 die 30. Maii 1699.

Conventus PP. Carmelitar. excalceator. Wilnen. in Lithuania refert: Cum de concessione Officii s. Ursulae et Sociar. VV. non constet de Sede ap. et tamen omnes Dioeceses de illa habeant Off. dupl. 21. Octb., quaeritur: an licite possint omnes de illa habere Officium...? S. C. resp.: Officia particularibus locis concessa quamvis SSrum in martyrologio rom. expressorum, Sede ap. inconsulta, non posse ab aliis recitari. Hinc, cum sermo sit de Officio s. Ursulae etc. adprobato ac non semel concesso, ejus extensio expetenda est, ut Officium licite ac valide recitari possit in iis locis, in quibus s. Ursulae festum cum Officio celebratur absque S. C. indulto. n. 4110 ad 5 die 22. Apr. 1741.

Moniales locorum Ordinariis subjectae non tenentur recitare Officia particularia Dioecesium. n. 4162 die 22. Aug. 1744; 20. Novb. 1683.

Ecclesia Colleg. Nullius in Dioecesi Spiren. recitat plura Officia, quae ad calcem aliquorum Breviar. reperiuntur approbata a S. Sede, quaeve pro sua Dioecesi adoptavit Episcopus, licet sint approbata solummodo pro quibusdam regionibus, non vero pro terris Regis Galliarum, sub cujus dominio a saeculo et ultra sita est dicta Ecclesia Colleg. Quaeritur: an Collegiata recitare teneatur praedicta Officia concessa quibusdam tantum regionibus? S. C. resp.: Negative. n. 4330 ad 3 die 21. Jan. 1766.

viarii a Sancto Pontifice Pio V. reformati. Ab hoc onere adimplendo, extincto Capitulo, cessatum fuit, prout cessarunt jura aliaque onera omnibus Cathedralibus communia vel peculiaria, vigore Instituti et Constitutionum Alexandrini Capituli. Eo tamen reintegrato vel per restitutionem, vel per novam erectionem reassumenda erat etiam vi praefatae Pianae Constitutionis antiqua consuetudo recitandi Officium parvum B. M. V. etc. nec poterant Dignitates et Canonici, ut perperam nonnulli opinabantur, se ab eodem onere ita solutos credere, ut ad interruptam consuetudinem redire non tenerentur, eo sub praetextu, quod in Literis Apostolicis reintegrationis aut novae erectionis de eadem consuetudine reassumenda nulla mentio occurreret. Id opus non erat et sicuti restituebantur antiqua jura, ita etiam et onera vel ex lege vel ex consuetudine, saltem quoad ea, quae respiciunt Divinam Psalmodyam in Choro persolvendam. Rationes autem subtilesque argumentationes ab aliquibus productae, ut sese Capitulumque eximerent a praefato onere, putantes per reintegrationem vel novam erectionem, ut restitutam praefatam consuetudinem non esse habendam. Merito igitur re delata ad S. R. C. Eminentissimi Patres eidem praepositi nihili habendas esse allatas rationes et subtiliter deductas argumentationes declararunt, propterea restitutum Capitulum teneri ad recitationem Officii parvi B. M. V. etc., juxta consuetudinem, quae obtinuerat usque dum Cathedralis Capitulum steterat. Haud prodesse poterat interrupta consuetudo ad sustinendam opinionem contrariam: nam eadem S. C. in quaestionibus hac super re quandoque exortis nihil pendendum morem censuit ab laudabili consuetudine alienum, quacumque ex causa idem fuerit inductus, semper-

que respondit parendum esse Constitutioni S. Pii V. et Rubricis Breviarii reformati, primaevamque consuetudinem esse restituendam. Ita sub die 28. Januarii 1606 *in una Svessae* et *in Pacen.*, cum petissent Canonici et Capitulum declarari: *an tenerentur recitare Officium B. M. V., illud defunctorum etc., prout assignantur in Breviario reformato etc., quae recitari consueverunt ante acceptationem dicti Breviarii reformati, sed non in omnibus diebus in Rubricis postea praescriptis in memorato Breviario reformato, sed in quibusdam tantum diebus, quae consuetudo in desuetudinem postea abiit sub inani praetextu, quod Constitutio S. Pii V. *) non obligat sub poena peccati mortalis*, responsum fuit: *Teneri in Choro recitare Officium parvum B. M. V. etc. in diebus, in quibus assignantur in Breviario reformato etc. extra Chorum excusari, si . . . non celebrent.* Ita sub die 10. Januarii 1609. Vide etiam aliud Decretum in Seguntina die 10. Mart. 1657 et tandem in *Nolana*; tanto cum rigore id esse intelligendum ab eadem S. C. declaratum fuit sub die 30. Mart. 1660, ut mos semel inductus nequeat aboleri per contrariam consuetudinem post Bullam Pii V. introductam et *hanc esse abusum imperscriptibilem.* Si abusus imperscriptibilis est, quam ratione, colore ac praetextu poterunt

*) „Nos propter varia hujus vitae negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione (dicendi Off. p. B. V. M.) removendum duximus, verum omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram sua devotione praecurrentes illis precibus suae et aliorum saluti consulere studeant, atque omnibus, qui in diebus in rubricis praefinitis B. V. M. Officium dixerint, toties centum dies de injuncta ipsis poenitentia relaxamus“ (Breve Pii V. diei 15. Jun. 1568 in Bull. rom. t. II. p. 279.). Vd.: *Off. p. B. V. M.* (Approb.)

Cathedralis Alexandrinae Dignitates et Canonici ab onere se censere solutos, cui sese obligaverunt Breviarium reformatum acceptantes?

Ne quis opponat Decretum in *Nucerina* die 11. Junii 1629, quo declaratum fuit, ab Episcopo *cogi non posse* Nucerinae Cathedralis Canonicos ad recitandum in choro Psalmos Graduales etc., nam ea in Ecclesia similis consuetudo non aderat et nunquam adfuerat, nec propterea novum onus erat imponendum, quo ejusdem Capitulum se gravare volebat. Igitur Decretum hoc, et, si quae sunt alia hujusmodi, contradictionem non involvunt, sed inter casus et casus ponunt differentiam, ut clarius explicatum video ab eadem S. C. in *Pernabucen.* die 4. Septembris 1775, nam ad dubium hisce conceptum verbis: *An Capitulum possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. M. V. in diebus simplicibus et serialibus, eo quod tenues sint dictae Praebendae et nulla adsit consuetudo praedictum Officium parvum recitandi?* respondit: *Officium parvum B. M. V. in diebus simplicibus et serialibus, Non abrogata tamen Consuetudine, quae in Contrarium fortasse vigeret, tuto posse omitti.* Ex hoc responso facile quisque intelligit, quid sit servandum; nam tuto omitti posse praefatam recitationem respondit, quia expositum fuerat *nullam adfuisse consuetudinem*, sed simul Decreto additam voluit clausulam conditionemque praeservativam: *Non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret, quod idem est, ac si responsum fuisset: Consuetudinem omnino servandam recitandi praefatum Officium, si aliquando ea in Cathedrali obtinuisset.* Haec adnotanda duxi, non quia Decretum latum pro Ecclesia Cathedrali Alexandrina illustratione indigeret, verum, ut ostenderem, quae constans sit

Sacrae hujus Congregationis mens et sententia, videlicet, quod nullo sub praetextu, nulla ex causa recedendum sit a recitatione Officii B. M. V. in choro, etiam si quacumque ex causa constet morem a Rubrica praescriptum fuisse interruptum.

Ab hoc onere dumtaxat libera esse Capitula, quae nullo unquam tempore illud sibi imposuerunt.

d) Tempus.

Vd.: *Offic.* (oblig. ad quod? decr. n. 4874 ad 3).

Non extat requisita consuetudo, an de licentia Superioris Fer. IV. Cinerum possint Sanctimonialia Ord. s. Clarae in Choro sic Officium dividere, ut hora 5. post meridiem diei praecedentis recitent Psalmos Graduales post collationem, seu serotinam comestionem Matutinum cum Laudibus Officii parvi B. M. V., et media nocte Officium Feriale.

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Quoad Psalmos Graduales posse, sed Officium parvum B. M. V. uniuendum Officio feriali juxta Rubricas.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 1 die 7. Sept. 1850.

34) Passionis D. N. J. Chr.

Vd.: *Vesperae dimid.* (decr. n. 4878); *S. Spinea Coron. D.* (decr. n. 4928).

35) Pater, Ave, Credo.

Sacerdotes et Clerici recitantes Officium in Triduo Passionis D. N. tenentur in principio et fine ejusdem Officii recitare „Pater, Ave, Credo.“ Accidit, quod terminato Officio recitatur Matutinum pro sequenti die. Quaeritur: An in inchoatione dicti Matutini teneantur dicti Oratores ad iterum replicandum dictum *Pater etc.*

vel sufficiat pro utroque Officio jam recitatum in fine Officii?

S. C. resp.: Teneri ad replicationem. n. 2596 die 3. Sept. 1672.

36) Quinque vuln. Chr. in Quadrag.

Vd.: *S. Spinea Coron. D.* (decr. n. 4928); *SS. Sanguis J. Chr.* (transl., decr. n. 5025); *Officium Mysterior. et Instrument. etc.*

Ad dubium: An Officium ss. 5 Vuln. Chr. primae ex feriis sextis mensis Martii assignatum sub ritu dupl. maj., incidens in dupl. 2. cl., transferri possit etiam ad tempus paschale deficiente die libera inter Quadrag.?

S. C. resp.: Servandas regulas in tabella occurrentiae vel concurrentiae expositas et Off. ss. 5 Vuln. Chr. non transferendum ad tempus paschale sed in casu omittendum.

Die 14. Junii 1845 ad 4. *In una Ord. M. s. Franc. de Obs.*

37) Recitatio dubia.

Ad dubium: An pertineat ad Capitulum vel Archiepiscopum decernere super difficultatibus occurrentibus circa recitationem Officii et in Congregatione propterea habenda debeat praesidere deputatus a Capitulo vel ab Archiepiscopo?

S. C. resp.: *Dilata.* n. 3370 ad 3 die 3. Sept. 1695.

Vd.: *Officium* (oblig. ad quod?); *Episcop.* (Off. recit., decr. n. 1437).

38) Recitandum, quod ex duobus Officiis?

Vd.: *Off.* (Oblig. ad quod?); *Indult.* (Revoc. n. XI.).

Archidiaconum Melphiten., ad praesens Vicarium general. Licen., teneri recitare Officium juxta ritum Ecclesiae Licen. n. 2586 die 14. Maii 1672.

Ad dubium: Si aliquod festum dupl. sive semidupl. pro universali Ecclesia

noviter a S. Sede ap. institutum vel instituendum occurrat singulis annis eodem die festo dioecetano ejusdem ritus, de quo prius sit faciendum Officium?

S. C. resp.: De instituto pro universali Ecclesia. n. 3463 ad 1 die 15. Martii 1698. Si non sint ejusdem ritus, Episcopus in sua dioecesi non potest minus diem fixum assignare. *Ibidem* ad 2.

Ad dubium: An parochus 2 Ecclesiarum unitarum debeat de ambarum Patrono et Titulari recitare Officium?

S. C. resp.: Prout utroque Titulari affirmative, maxime si Ecclesiae sint peraeque unitae. n. 3477 ad 6 die 5. Julii 1698.

39) Recitationis Modus.

Cf.: *Chorus* (Modus etc.); *Laudes* (recitatio in choro etc., decr. n. 4672 nota); *Officium* (Pater, Ave, Credo); *Psallendi modus.*

Ad dubium: Aliqui in recitatione Divini Officii tam in choro quam privatim signum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt et se inclinant etiam in his locis, in quibus Rubrica nec Missalis nec Caeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo: quando haec omnia sint facienda tam in publica quam in privata Divini Officii recitatione?

S. C. resp.: „Serventur Rubricae.“ n. 4669 ad 43 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: An Canonici assurgere debeant, quando Antiphonae per gyrum ab uno ex hebdomadariis intonantur? et quatenus non teneantur, an tecto vel detecto capite in actu, quo antiphona per hebdomadarii intonatur, stare teneantur? Et an alii presbyteri, qui dicuntur in quaranta sicuti Clerici Seminarii, qui sunt inferioris Ordinis in casu praedicto surgere debeant?

S. C. resp.: Surgere debent Canonici, quando ab ipsis cantatur antiphona, et eodem modo Beneficiati, quando ab ipsis cantatur.

Die 20. Nov. 1677.

40) Recitatio privata in choro.

Vd.: *Chorus* (Modus recit. Off., decr. n. 4699).

41) Recitationis tempus.

Vd.: *Chorus* (tempus); *Indult.* (revocatio n. XI.); *Laud.* (recit. in choro etc.).

Pius PP. VI.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli et Canonicorum ecclesiae cathedralis Palentinae congregationis VV. FFR. Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini interpretum expositum fuit, quod, cum adesset in eadem ecclesia consuetudo memorabilis recitandi matutinum cum laudibus hora media noctis tam aestivo quam hyberno tempore, serio perpensis incommodis, quae hunc piissimum et pervetustum morem comitabantur, fuit ipsi derogatum a tunc existente Episcopo ex hora media noctis ad nonam deflectendo; verum quia providentia ejusdem Episcopi capitula praedicta non satisfacit propterea, quod per horam ab ipso determinatam non removebantur incommoda interessentibus obvientia cum notabili eorum salutis detrimento, hinc idem capitulum praedictae congregationi preces obtulit pro horae immutatione, aptius censendo, matutini persolutionem tam hyeme quam aestate transferre post sonitum vespertinae salutationis; requisito vero de more ab eadem congregatione Episcopo, Vicarius capitularis legitime deputatus, ex eo, quia ecclesia hujusmodi suo pastore viduata erat, retulit, justam et rationabilem esse capituli instantiam neque ullum sive in libris sive in actibus capitularibus ejusdem

ecclesiae statutum formale reperiri circa tempus praedictas horas canonicas absolventi, sed tantum mentionem fieri consuetudinis memorabilis, quae ad haec usque tempora non sine magno ad praedictas horas interessentium periculo perseveravit.

Quare eadem Congregatio edidit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Die 29. Aprilis 1780.

Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum attenta relatione Vicarii capitularis Palentini benigne commisit eadem, ut veris existentibus narratis supradictis oratorum precibus pro suo arbitrio et conscientia gratis indulgeat juxta ejus votum, nempe, quod matutinum et laudes canantur hora nona post solis occasum.

L. Card. Pallavicinus.

(Loco signi.)

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo decretum hujusmodi firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis patrocinio communiri summo opere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum decretum una cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique apostolicae inviolabilis firmitatis robur adjicimus omnesque juris et facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 7. Junii 1780.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 206.)

Callien.

Precibus Kalendaristae Dioecesis Callien. exquirentibus: num in nonnullis peculiaribus Officiis praeter Lectiones et Orationes legi etiam debeant, quae propria adprobata sunt pro aliis Dioecibus, quamvis extensionis Indultum id non exprimat, rescriptum fuit: „Negative in omnibus, sed juxta Indultum.“ Die 7. Decb. 1844. n. 4982.

Ratione communicationis privilegiorum non potest recitari peculiare Officium concessum illis Ordinibus regul., de quorum privilegiis facta fuit communicatio. S. R. C. 15. Sept. 1668 in *Januensi*.

Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius Religionis alteri facta non se extendit ad Officia Sanctorum. S. R. C. 16. Decb. 1679.

Recitantur in aliquibus dioecibus ab aliquo tempore Officia de ss. mm. Garcomiensibus (quod est concessum pro Belgio) et de s. Erasmo e. m., sub ritu dupl. ad libit., licet sit nullum fundamentum horum extensionis ad regnum nostrum; supplicatur proinde declarari, utrum licite possit horum Officiorum recitatio continuari?

S. C. resp.: Non posse continuari. Die 7. Maii 1746 in *Varsav*.

Ad dubium: Num clerus adscriptus Ecclesiae parochiali aut non paroch. nulloque praeditus beneficio possit Officia particularia earundem ecclesiarum recitare, etsi consuetudo non fuerit inducta ante bullam laudatam (S. Pii V. edit. 1568), sed a paucis annis?

S. C. resp.: Negative. Die 20. Sept. 1806 ad 17. In *Brix*.

b) Estne de praecepto an ad libitum?

Officia dupl. vel semid. in locis, in quibus concessa sunt, recitari debent juxta rubr. Brev. rom. ad formam con-

cessionum. n. 3172 ad 2 die 25. Sept. 1688.

Qui particularia Officia recitare desiderant, instent pro illorum approbatione et concessione. n. 4134 ad 1 die 1. Decb. 1742.

c) Translatio.

Vd.: *Transl. festi particul.*

33) Parvum B. V. M.

a) Anticipatio.

Vd.: *Regulares* (Officium; decr. 31. Aug. 1839 ad III.); *Officii oblig.* (ad quod? decr. n. 4874 ad 3.)

b) Approbatio.

Pius PP. V.

Cum curam et operam adhiberi mandaverimus in emandando ac corrigendo B. V. M. Officio, illudque ipsum correctum et a Nobis probatum fuerit, Romae imprimi et divulgari jussimus. Omnia inde et singula alia Officia hujusmodi quovis titulo et nomine quomodolibet pervulgata omnemque illorum usum approbatione apostolica ac consuetudine et institutione (invenientis infra dicendis salvis) ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus saecul. vel quorumvis Ordinum regularibus tollimus et abolemus, ipsisque sub virtute s. obedientiae interdicens, ne aliud quam hoc de mandato nostro emendatum B. V. M. Officium quovis praetextu dicere, recitare seu tenere quoquo modo audeant; *illis tamen officiis exceptis* (dummodo vulgari sermone non sint composita) *quae ab ipsa prima eorum institutione a Sede ap. expressa approbata fuerunt vel quorum officiorum certum usum consuetudine aut ipsa institutione, supra tamen ducentos annos, assidue in ecclesiis, monasteriis et locis utriusque*

sexus Ecclesiasticorum observatum fuisse constiterit.

Quibus sic *obligatis* suum officium inveteratum *non adimimus*, sic eisdem, si forte hoc nostrum magis placet (Episcopo vel Praelato et universo Capitulo in eo consentiente), ut illud etiam in choro dicere possint, permittimus. Ab eis vero, qui ad ejusdem Officii recitationem *non aliqua obligatione tenentur*, omnem eorumdem Officiorum vulgari sermone quomodolibet compositorum atque similis idiomatis vulgari orationum, etiam aliis officiis latini sermonis insertarum, *usum penitus etiam auferimus*, statuentes huic nostro officio edito nihil ullo unquam tempore per quemcunque quavis auctoritate fungentem quovis praetextu addi, detrahi vel immutari debere, ac *omnes et singulos, qui hoc officium dicere tenentur, ex hujus Nostri rom. Officii praescripto et ratione ad id obligatos esse et neminem muneri suo nisi hac formula satisfacere posse.*

Ac ut fidelium omnium studium magis ad hujus officii usum incitetur, omnibus et singulis, *qui ad recitationem non tenentur*, quoties istud sic de mandato nostro reformatum, quinquaginta dies, qui vero *Officium def.* eodem volumine insertum, alios quinquaginta, qui *septem psalmos grad.* insertos, alios quinquaginta et qui *aliquam ex orationibus insertis* devote recitaverint, alios quindecim dies de injunctis sibi poenitentis in Domino relaxamus: *obligatis vero* eas dumtaxat indulgentiam concedimus, quae literis nostris super reformatione novi Brev. editis designantur.

Dat. Romae ap. s. Petrum 11. Mart. 1571.

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (oblig. decr. n. 4631 nota); *Off. roman.*

c) Obligatio.

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (approb.); *Alleluja; Te Deum; Psalmi gradual.* (non obligat. decr. n. 4119); *Regul.* (Off. decr. 31. Aug. 1839 ad III.); *Off.* (oblig. recit. decr. Pii V.)

Etiam si Officium parvum B. V. M. prius recitatum fuerit, tamen et commemor. in hon. B. V. in Ecclesiis eidem dicatis in Officio currenti (suffragiis) fiant. n. 231 die 10. Jan. 1604

Servanda est antiqua et laudabilis consuetudo, ubi recitatur in choro Off. parv. B. V. M. etiam in semid. et dominicis non obstante rubrica Brev. S. R. C. 1. Sept. 1607.

Officium parv. B. V. M. recitari debet *tempore paschali*, prout in Brev. rom. (sine alleluja post ant. et Vers.) n. 618 ad 2 die 28. Mart. 1626.

Off. parvum B. V. M. dici debet in choro etiam in Dominicis, si aderat consuetudo. n. 2364 ad 6 die 13. Febr. 1666.

In festo Annuntiationis B. V. M. ob adimplementum fundationis recitandum esse Officium parvum ejusdem praescriptum in Breviario tempore Adventus. n. 3905 ad 2 die 2. Apr. 1718.

Ad dubium: an Capitulum Cathedr. Pernabucen. possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. V. M. in diebus simpl. et ferial., eo quod tenues sint praebendae et nulla adsit consuetudo dictum Officium recitandi? S. C. resp.: Officium parv. B. V. M. in diebus simpl. et ferial., non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret, tuto potest omitti. n. 4176 ad 5 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: Utrum Oppido Villafranca extendatur decr. in Pernabucen. de 4. Sept. 1745? S. C. resp.: Negative. n. 4542 ad 4 die 30. Sept. 1817.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Non omnibus aequè hoc onus injunctum est, sed iis dumtaxat qui

consuetudinem habent. S. Pius V. in Constit: *Quod a nobis postulat etc.*, quae Breviario Romano praeficitur, declaravit illos, qui Divinum Officium recitare tenentur, dum illud private recitant, non esse simul adstrictos ad aliud parvum B. M. V.; voluit tamen omnino servari consuetudinem illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. M. V. in Choro dici consueverat. Hinc S. R. C. propositis super hac re quaestionibus, inhaerendo *Pianae Constitutionis* dispositioni, semper rationem habuit Ecclesiarum consuetudinibus, qua attenta, juxta diversam casuum exigentiam vario modo respondit, quin sibi contradiceret. In *Pernabucen.* tuto omitti posse in Choro Officium parvum declaravit, quia expositum fuerat: *Nullam adesse consuetudinem praedictum Officium parvum recitandi.* Sed ut caute procederet neque videretur decidendi rationem petiisse a tenuitate praebendarum aut a consuetudine, si quae forte erat, dispensasse, simul addidit clausulam: *non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium forte vigeret.* Atqui in Ecclesia Capitulari Oppidi de Villafranca vigeat consuetudo recitandi in Choro Officium parvum et haec per contrarium inductum morem abrogata non est; ideo ad eam trahi nequit antedictum Decretum in *Pernabucen.*, in qua asserebatur, non adfuisse consuetudinem. Videtur idcirco Capitulum Oppidi Villafranca absolvendum non esse ab onere recitandi Officium parvum B. M. V. in Choro diebus ferialibus et ritus simplicis, veluti alias declaraverat eadem S. C. in Decretis legen. in hac Collectione.

Ad dubium: an Officium parv. B. V. M. recitari debeat in choro (existente laudabili consuetudine) in festis dupl. et in octavis Resurrectionis et Pentecostes, non obstante rubrica Breviarii? S. C. resp.: Servandam esse

laudabilem consuetudinem etiam in festis dupl. per annum, non autem in octavis Pasch., Resurrectionis et Pentecostes. n. 4549 ad 9 die 25. Aug. 1818.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Hac super controversia videri potest adnotatio ad dubium Decreti supra relati. Sed quoniam non simpliciter petitur, num in Choro recitandum sit *Officium parvum B. M. V.*, sed etiam quaeritur: num retinenda sit laudabilis consuetudo illud legendi in duplicibus, necnon Octavis Paschatis et Pentecostes; ideo iis, quae dicta sunt, aliquid pro casuum diversitate adjiciendum superest. Rubrica, quae habetur in Breviario Romano ante Officium parvum B. M. V. haec est: *Non dicitur, quando fit Officium novem Lectionum, nec in Vigilia Nativitatis Domini, nec in Feriis majoris hebdomadae, nec infra Octavas Paschatis et Pentecostes.* Qua posita et literaliter accepta Rubrica negativo responso absolvenda foret omnis quaestio et omitendum praefatum Officium etiam in semiduplicibus, quia in his aequae ac in duplicibus leguntur novem Lectiones. Atqui secus censuit S. R. C. in Trojana 1. Sept. 1607 proposito Dubio respondens: *Dictam Ecclesiae Trojanae laudabilem consuetudinem recitandi Officium parvum B. M. V. in Choro etiam in Dominicis diebus et Festis semiduplicibus servandam esse:* et jure id quidem. Nam S. Pius V. in Constitutione: *Quod a nobis postulat etc.* sub initium Breviarii Romani legenda, postquam decreverat absolvendos esse ab onere Officii parvi persolventes privatim horas canonicas, continuo addidit: *Hoc autem concedimus sine praedicta consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum Beatae Mariae semper in Choro dici*

consueverat: Generalis cum sit hujusmodi reservatio, quin Constitutio coërcet vel declaret consuetudinem retinendam esse dumtaxat in diebus ferialibus aut festivis ritus simplicis, palam fit, sapientissimum Pontificem praeservatum voluisse laudabilem morem recitandi Officium parvum etiam in duplicibus. Videri possunt hac super re *Gavantus* ad Rubricas Breviarii *sect. 9, c. 1, n. 5 et seq. et Guyetus in Hortologio lib. 4, cap. 19, quaest. 4 et 5.*

Canonici Colleg. Montis Sancti Firmanae Dioec. non esse cogendos ad recitationem in choro statutis diebus Officii B. V. M. n. 4254 die 14. Junii 1755.

Quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae in Subalpinis exorta semel atque iterum est: an ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii defunctorum et Beatae Mariae Virginis recitationem statutis a Rubrica temporibus ac diebus teneantur? Aliquibus inter eos denegantibus aliqui affirmant et diversis, ut quisque suam protueatur sententiam, rationibus innituntur.

Totius rationis ratio quum in eo sita sit, ut Apostolicis Literis diei 1. Junii 1803 Alexandriae Capitulum suppressum extinctumque fuerit et in Collegiatam erectum, aliisque similibus Literis diei 2. Augusti 1817 iterum in Capitulum erectum, per illam suppressionem omnem consuetudinem abrogatam esse contendunt, dum nonnulli illam resumendam esse affirmant. Ad quaestionem omnem dirimendam infrascriptum Dubium S. R. C. enodandum proposuere Dignitates et Canonici Cathedralis Alexandriae, nimirum:

„An attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda sit consuetudo recitandi Offic. parvum Beatae Mariae Virginis, Defunctorum, Psalmos Graduales et Poenitentiales in Cathedrali Alexandrina, atque adeo, num

Canonici ab iis recitandis soluti sint eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione?“

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandito praeloque cuso, re mature diligenterque discussa perpensisque rationum momentis ab utraque parte allatis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Placidi Zurla Ponentis, respondendum censuit: *Juxta Votum*, nimirum:

„Attenta vigente olim consuetudine teneri Canonicos Officia et Psalmos, ut in Dubio, recitare, ac servanda esse hujus Sacrae Congregationis Decreta.“

Et ita decrevit et servari mandavit. N. 4631 die 22. Sept. 1827.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ex Decreto colligimus Cathedralem Ecclesiam Alexandrinam anno 1803 suppressam fuisse, dein vero in Collegiatam commutatam, in quo statu qualitateque perseveravit usque ad annum 1817, quo tandem a Sa. Me. Pio VII. Apostolicis Literis datis die 2. Augusti in Cathedrali fuit restituta aut noviter erecta, dato in nova Dioecesium circumscriptione eidem Ecclesiae Episcopo. Scire nullatenus interest, num intermedio tempore, quod a suppressione ad reintegrationem vel novam erectionem computatur, legitime fuerit in veram Collegiatam conversa: illud potius attendi debet, quod Capitulum usquequo existenti Cathedrali inservivit, stetitque Episcopalis Sedes, consuevit Horis Canonicis addere Officium parvum B. M. V., illud defunctorum, Psalmos Graduales et Poenitentiales diebus ferialibus vel recurrente Officio ritus simplicis, juxta formam praescriptam in Rubricis Bre-